

QVÆSTIO PHYSICA
DE
CALORIS NATI-
TIVINATURA,

Quam
DEI, & Superiorum Indultu,
PRÆSIDE
M. PAULO Amman / Vratisl.

Publicè examinandam
proponit
JOH. ANDREAS Kreutter /
Butisbaco - VVetteravius, Philiaater,
Ad diem XIV. Martij Anno 1657.

LIPSIAE,
Typis BAUERIANIS.

Physica.

305,3.

COLLEGII FRAUENSTEINIANI

quod Mœno-Francofurti est
SENIORI SPLENDIDISSIMO
V I R O

Magnifico, Amplissimo Consultissimoq;

DN. ERASMO SEIFFARTO,

J. U. D. celeberrimo, Reipublicæ ibi-
dem Consuli Seniori dignissimo, Scabino, Scholar-
chæq; primario.

ut &

DOMINIS COLLEGIS GRAVISSIMIS
V I R I S

*Nobilissimis Amplissimis, Consultissimis Excellentissimis,
multoq; rerum usu ac prudentiâ Clarissimis partim Scabinis,
Senatoribus & Jurisconsultis*

Patronis suis Maxumis
Nutritijs exoptatissimis

*hasce studiorum suorum primitias
In
liberius benivolentiæ incrementum
Observantiæ submissæ symbolum.*

D. D. D.

humillimus cliens

JOHANN ANDREAS Kreutter.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



PRAELOQVIUM.



Uir ea, quæ cottidiè inter manus nostras versantur, minus vulgò impetrent admirationis, nullam ferè aliam ob causam evenire solet, quàm quod assiduitate & frequentia vilescant: è contrario rara, & longinquis in oris nata, animum hominis, novitatis alioquin avidissimum, ita quasi valent immutare, ut nihil nunc communius sit, quàm externis inhiare, gazasque, quas copiosè natura intra nos recondidit, nullâ curâ investigare, imò longè viliora iisdem anteferre, prout præter alia, elegantissimum *Fernelij* ænigma de lapide ex Indiâ allatò, flammamq; adumbrante, hæc declarat. Quid præstantius, calore nativò, nobis à benignâ rerum matre obtigit? quid magis, eò ipsò, ad vitam vel inchoandam, vel conservandam, necessarium? Hic quippè, præterquàm quod ab *Hippocr.* animæ calor, & à *Fernelio* principium illud salutare, unde omnium viventium salus, appellatur; etiam omnium operationum, quas vivens edit, effector, ipsiusque vitæ sedes audit, utpote, quò vigente, viget, quo destructò, ipsa quoq; destruitur: adeò, ut non immeritò hac in parte, cum sole, qui omnium inferiorum dux & moderator est, à laudato *Fernelio* fuerit comparatus. Nihilo tamen minus dissimiles interdum sortitur æstimatores. Quidam enim quorum præsertim sensus sunt ἀπαιδούτοι, ut alia naturæ mysteria, sic & hoc siccò, quod ajunt, pede prætereunt; Alii, quibus hæc arcana revelare datum, stupendarum operatio-

num nobilitate commoti, illud, quod natura inferiori largita est virtuti, novitati studentes, cuidam coelesti, vel huic analogæ, adscribunt, cum tamen eadem uniformi semper agens modo, nunquam per sublimiora, quæ per humiliora potest, efficiat. Quò de quid sentiendum (dissentientes enim Philosophos pariter atq; Medicos hac in controversia legimus) præsens disquisitionis, de *caloris nativi naturâ*, breviter, & quantum ingenii vires permittent, declarabit. Ut autem veritati conformia sint proferenda,

χάριν τῷ θεῷ, χάριν τῷ σοφῷ!

THE S. I.

Antequam caloris nativi naturam indagemus, necessè est, quasdam hypotheses substernere, quibus tanquam fundamento, reliqua superstruenda, innitantur. Quarum prima de caloris, præcisè sumti, origine, erit, absq;ve hæc enim vix ac ne vix certi aliquid determinare poterimus. Altera aget de caloris identitate specificâ.

2. Principiò quidè̄m cuilibet constat, vel certè constare debet, quid Peripatetici, hæc in parte statuunt, omnem scilicet calorem (ignis si excipias) motu & lumine corporum coelestium oriri, non quidè̄m, quod motus, & lumen per se sint causa caloris, sed per accidens: aliàs omnis motus, & omne lumen tale quid præstaret. Magnæ de modo generationis hujus caloris in scholis Philosophorum sunt difficultates, quibus etiam enumerandis supersedere mallems; quoniam verò proposito nostro majorem lucem afferre videntur, sic proponemus eas, ut citra id, quàm par est, nostras non faciamus.

3. Generatur calor, & quidè̄m coelestis, uti vocant, in orbe elementari superiore, motu & lumine, quatenus hæc atterunt, attenuant, & rarefaciunt. Extenuatione enim & rarefactione aër magis ad igneam accedit naturam, majoremq; caloris gradum acquirit, vel planè demùm, famosâ illâ *μεταστοιχείωσι*, in ignem vertitur. Rarefactionem itaq; & extenuationem sequitur calor, & ignis cum sit elementum rarissimum, ex nullo alio corpore proximè & immediatè potius fit, quàm ex eò, quod raritate suâ proximè ad ignem accedit, quale est aër, uti id prætereà ex doctrinâ elementorum

torum

totum symbolicorum patet. Negare videtur Scaliger Exerc. 23. celestia corpora per motus velocitatem calefacere, ut & à stellis calorem, attrito aëre, provenire. Sed frustra: quia partim se ipse refutat, dum Exercit. 16. calorem per aëris attritionem fieri asserit, partim etiam abundè à D. Freytagio in diss. de C. 7. jam refutatus est.

4. Sic & in orbe inferiore calor, cujus respectu æstas & hyems apud nos formatur, ex solis scil. & astrorum lumine & radiis, potissimum oritur. Undè pro variò accessu & recessu solis, varioq; positu & respectu luminis, aliorumq; astrorum, etiam si coelum, ejusqve corpora formaliter calida non sunt, in aëre generatur. Nec modus productionis diversus est ab eo, qui per motum fiebat. Quemadmodum verò non omnis motus aërem atterit, & calorem in eo generat, sed is solum, qui validus & velox est: sic etiam nō quodlibet lumen, sed magnum & intensum tantum, in aëre solò talem facit attritionem. Radii autem atterunt aërem, & collidunt, quando incidentes in corpus solidum, reperiuntur, & in aëre duplicantur, quæ repercussio si ad angulos rectos fit & perpendicularis, quilibet radius in seipsum reflectitur, & idem fit radius ascendens & descendens, ideò maxima fit radiorum collisio, & magna aëris attritio, proindè quoq; intensissimus calor. Vicissim quia radii ad angulos obtusos, vel acutos incidunt, ita, ut reflexi cum incidentibus non possint uniri, minor etiam exindè nascitur calor.

5. Sic statuunt pleriq; Peripateticorum de caloris origine, quæ sententia probè observata, alteram nobis suppeditat hypothesin, omnem sc. calorem unius esse speciei, nec differre calorem celestè ab elementari essentiâ quandoquidè & ipse calor per motum generatus (qui vulgò celestis audit) est elementaris, ab elemèto productus, qui E. ab eo differet specie? quæ operationes elementaris in se spectat, ab operationibus celestis, specie erunt diversa? Dixi in se: omnis enim calor suæ naturæ relictus, est qualitas patibilis, congregans homogenea, & disgregans heterogenea. Item: omnis calor sibi relictus, calefacit, attenuat, & resolvit. Ast, quando consideratur ratione agentis primarii, quatenus scil: coelum eò utitur ad productionem animalis, vel anima ad elaborationem chyli, tunc quivis videt, ali-

quam intervenire quidem differentiam, quæ tamen minimè essen-
tialis vel specifica est. Et, licet calor, prout est nobilioris agentis
instrumentum, sphaeram activitatis suæ videatur transgredi, & ma-
jora quandoq; quàm si suæ naturæ relictus sit, edere; propria tamen
id virtute non præstat, sed facultate illius, à quo dirigitur. Non
autem sequitur inde, quia elementaris id non præstat quod anima-
lis, proinde originis erit diversæ. Non sanè. Elevetur elementa-
ris ad ministerium animæ, eadem præstabit: remittatur animalis ad
usum elementi, & non amplius opera peraget animæ.

6. Hinc, licet triplicis caloris, *ætherii, elementaris, & innati,*
in scholis fiat mentio, non tamen differunt inter se specie. Sic in-
natus ab elementari essentiâ non differt. Cujus rei certitudinem
haurire possumus ex *Philosopho 2. d. animât. 41.* Inibi enim rejiciens
sententiâ illorum qui asseriebant calorem ignis causam esse princi-
palem nutritionis & auctioris, sic inquit: τὸ δὲ (πῦρ) συναίτιον πῶς μὲν
ἔστιν, ἔ μὴν ἀπλῶς γὰρ ἄτιον, ἀλλὰ μάλλον ἢ ψυχὴ. Ex quibus tale
quid potest colligi: quicumq; calor à veteribus credebatur operum
vitalium causa principalis, ille est calor innatus, & animæ σύνεργ-
ος. Sed calor igneus &c: E. Idem docet sub initio *l. 4. Meteor:*
Nam cum in *1. 1.* hæc 2. theorematata accepisset (1) quatuor esse quali-
tates primas, ex quarum συζυγία temperamenta consurgant, (2) harum
alias esse activas, alias passivas, incipit in *1. 2.* de operibus primarum
agere, & declarans, quæ ejusmodi operationes sint, & quibus insint,
inquit: πρῶτον ἐν μὲν καθόλου ἢ ἀπλή γένεσις, καὶ ἢ φυσικὴ μεταβο-
λὴ τέτων τῶν δυνάμεων ἔστιν ἔργον, καὶ ἢ ἀντικειμένη φθορὰ κατὰ
φύσιν, αὐτὰ μὲν ἐν τοῖς φυτοῖς ὑπάρχουσι, καὶ ζώοις, καὶ τοῖς μέ-
ρεσιν αὐτῶν. Itaque generatio & corruptio sunt opera caloris, qui
est qualitas prima, & elementaris, & quia calor innatus horum quasi
autor & concaussa est, de *Aristotelis* sententiâ nulla inter eum & ele-
mentarem intercedit differentia specifica.

7. Nec vero simile videtur, cœlestem differre ab elementari,
specie, quia calor à sole productus, est dispositio materiæ pro gene-
ratione ignis, uti videmus in speculis ustoriis, quæ si radiis solaribus
opponantur, stupam vel linteum subjectum, incendere valent.
Consequentia, quam elicere volumus, patet, quia ex opposito con-
seq. elucet oppositum antecedentis. Nam, si cœlestis esset naturâ
diver-

diversus ab elementari, nullâ profectò ratione, materiæ dispositio posset esse, pro generatione ignis, quoniam ἀλογον videtur, cœlestem, qui elementaris naturæ non est, dispositionem esse materiæ, pro generatione elementi, ignemque cœlesti calore comburere, suaque opera exercere. Addo, quod impossibile sit calorem cœli alium esse ab elementari. Quia (1) sol, ut & reliqua astra formaliter non calent, & per consequens neque formalem habebunt calorem. (2) Si à corpore cœlesti talis calor producitur, fit necessario ab elemento quodam, ut suprâ monstravimus, & sic cœlestis quoque suo modo dicitur, & est, elementaris. Quæ ergo effectus nobilior erit suâ causâ?

8. Fallunt itaque & falluntur, qui sibi persuasum habent, hos calores specie differre. Quos inter esse video *Job: Buridan: qu. 13. in lib. de Juv. & Sen:* hanc fermè ob causam, quia adventitius vel elementaris, non ut animalis, format partes, nec sanguificat, nec aliud vitale munus quoddam peragit. Verùm, ad hæc jam in *thes. 5.* est responsum. Audiat insuper *Galenum l. 1. d. facul. nat. & l. 2. de temp.* graviter culpantem hujus sententiæ propugnatores, dum ea, quæ propria sunt animæ, nudis adscribunt qualitatibus.

9. His præsuppositis, juvat progredi, & dissentientes autorum opiniones hac super re, excutere, ut eò citius in propositi veritatem deveniamus. Tres autem præprimis in scholis nunc vigent, quarum una cum *Job: Fernel.* hunc vitæ calorem præstantioris cujusdam originis esse, nec, ut ejus utar verbis, *ignei elementi rudiorum naturam redolere*, asserit. Altera *D. Sennerti* est, quæ non elementaris, sed superelementaris, & τῶ τῶν ἀσέων σοιχείω ἀνάλογον, statuitur. Ultima, (quam & nos defendimus) calori vitali elementarem tribuit virtutem. Quælibet suis nititur rationibus, quas ordine lustrare libet.

10. *Fernelium* quod attinet, libenter in ejus iremus sententiam, si tali modo calorem vocaret cœlestem, quò nos suprâ appellavimus, ratione scilicet originis, quæ omnino cœlestis audit, quod & ipse fateri videtur, quoniam ait: hunc esse *calori solis concordem*. Quod & reverà ita sese habet, uti paulò post ostensuri sumus, quia & ipse solis calor elementaris naturæ creditur. Ast longissimè à mente nostrâ abit. Loco enim citato negat esse igneum, sed dicit cœlestem, h. e. præstantiorem elementari, & quasi essentiæ quintæ participem.

11. Fun-

11. Fundamentum ejus in hoc consistit, ut statuat, "calori innato ut & cœlesti, non esse frigus oppositum. Quod quàm alienum sit ab *Aristotelis* mente, & ipsâ veritate, oppidò liquebit. Si, ut scriptum reliquit *Phil: l. 1. d. Gen. & Corr. t. 51.* agens & patiens sunt contraria, *ἡ δὲ ἐναντία ἐν τῷ αὐτῷ γένηι*, calor verò cœlestis à sole vel astris reliquis productus, agit in frigiditatem aquæ & terræ, utramq; calefaciendo, utiq; & frigus, tanquàm contrarium, habebit oppositum. Pariter illud verum est de calore nativo, qui in alimenti frigiditatem, illam alterando, & concoquendò, agit, quod profectò non posset, nisi in alimento esset aliquid huic contrarium. Nam alimentum aut est simile, aut dissimile. Si prius, non indiget alteratione, si posterius, indigebit; quæ non peragitur nisi à contrariò, illud contrarium quod in alimento est reconditum, expellendo. Undè pugnant hæc duo inter se, calorem innatum non habere contrarium, & tamen agere in frigiditatem alimenti. Accedit, quod nimis frigidorum usu & esu, ut endiviæ, lactucæ, cucumeris, mirum quantum imminuatur, immò, si ejusmodi *ὀνηρωτά* ut opium, hyoscyamus, &c: citra cautelam insumantur, planè perire possit. Quibus diductis, quis neget calori huic, frigus oppositum esse? Tacebo jam, quod ipse *Fernel. l. 4. Physiolog: c. 1 & 8.* sæpius nobiscum tacitè consentiat, adeò quidè, ut *l. 2. de abd. R. C. cap. 17.* hæc in verba ausit erumpere: *nihil in hac rerum universitate subsistit, cui non & simile, & contrarium quoddam, natura protulerit, etiamsi nostrâ diligentiam nequit inveniri.* Conciliet hæc aliquis cum opinione allatâ.

12. Rationes, quibus hanc suam sententiam orbi docto doctè persuadere intendit, sunt potissimum sex, quas brevitatis studiò, in 3. contrahemus. *Tribus prioribus* hoc medio suam confirmat opinionem: Calorem vitalem esse cœlestem, quia frigus ejus operationes non impedit vel tollit, quod probat: quia calor iste in illis quoque viventibus superat, quæ frigidæ sunt temperiei, ut sunt *senes, serpentes, papaver, mandragora.* In quibus, si esset elementaris, præsentia contrarii excellentioris, quale in his est frigus, impediret ejus actiones. Sed quoniam vero simile est, in hisce animatis, calorem frigori supparem, multoq; infirmiozem esse, & nihilominus suam activitatem in illis debito modo exercere, certò sibi concludere videtur, hunc calorem non ab elementis, ut reliquæ qualitates, sed

sed aliundè, ortu quodam reconditò fluxisse. Verùm admirationem potius, quàm refutationem, virtantus meretur. Quà enim ratione dubiè illud proponit, quod ipse verbis clarissimis alicubi firmiter adstruxit: *quantuluscunq;*, inquit, *inerit in corpore calor, id ipsum vità fruetur, & quas dixi functiones, licet obscuras* (quòd bene notandum) *de se promet, & paulo post: quemadmodum si vel minimum luminis corpus illustret, id ipsum dicimus illuminatum: sic & de calore vitali statuo, qui quantuluscunq; corpus possideat, id ipsum regit atq; moderatur, calidumq; denunciat.* Quibus quid clarius?

13. Jam ad Exempla Resp. 1. *Senes* quod attinet, ex ipso *Fernelio* dicimus, quod & infirmus calor possit vitæ vel animæ instrumētum esse, & actiones edere, licet obscurè & imperfectè. Quod oppidò & cottidiè experimur in illis, quorū ætas declinare incipit, ita, ut, licet actiones non aboleantur prorsus, diminuantur tamen, vel certè depraventur. Et quamvis senes dicamus frigidos, id tamen non accipiendum, ac si absolutum frigus occuparet illos: respectivè dicuntur tales, quatenus cum juvenibus vel aliis, comparantur, qui calidiores sunt. 2. *de serpentibus* eadem repono, limitando simul majorem *Fernelii*, quod non omne scik: contrarium, quod respectu alterius est depressius, actionem statim suspendat: sed illud facit, hoc, quod virtute, non quod gradu, est debilius. Et sic negamus minorem. Fatemur, calorem in his esse minorem quoad gradum, non quoad virtutem. Et quoniam activitas caloris major est, quam frigoris, tam exiguâ graduum inæqualitate, aut agendi potestatem, nō amittet, aut certè, quàm minimam, ita: ut in eo potestas agendi, respectu frigoris, adhuc relinqvatur. Eadem quoque est de stirpibus ratio. *Mandragora* frigidissima judicatur in respectu ad hominem, quem refrigerat, in se vero (ut *Plempius* rectissimè ait) actu tantum caloris habet, quantum satis est ad eliciendas suas actiones. Cæterùm de opii, mandragoræ, frigiditate dubitatur adhuc, & videtur potius contrarium ex earum operationibus apparere. Quid enim opii amaritudo, quid pruritus, què assumptum excitat in cute, quid ingens ardor corporis, aliud indicat, nisi calorem? Pro quò oris illa & lingvæ ariditas, quam inducit mandragoræ usus, militat, nisi pro calore? nihil itaq; *Fernelius* suis rationibus & exemplis adhuc evic-

14. *Alterâ*, in ordine *quartâ*, probat ulterius assertum suum, quod scilicet *Aristoteles* eximiâ quadam mentis agitatione, mortem definiens, huic calori non frigus tanquam contrarium, sed extinctionionem, quæ ejus privatio est, opposuerit. Locus, ex quo probat hoc, fortean erit *c. 18. l. de Resp.* ubi Phil. ait: *τελευτὴ δὲ καὶ φθορὰ βίαιος μὲν, ἢ ἔθέρμῃ σβέσις, καὶ μάρανσις.* Insignem triumphum! quasi vero caloris hujus unusestet interitus. Non negari potest *Aristotelis* autoritas, potius approbatur, quoniam cum rei veritate consentit. Undè autem pro babit *Fernel*: conseq. ? audiat quid in *lib. de Juv. & Sen. c. 5.* scriptum reliquerit: *videmus, inquit, ignem vel calorem nativum duobus modis interire, vel marcore, vel Exstinctione; vocamus autem eam quæ à seipso, marcorem, eam verò, quæ à contrariis, exstinctionem.* Quid intelligere videtur per contraria? cur non dixit à contrario? Propterea, ut opinor, quod calor non tantum à frigore, tanquam sibi maximè contrario, interimatur: sed etiam ab alio calore, qui ratione graduum, vel intensiōnis, huic nostro, potest dici quodammodo contrarius, ut *l. c.* hoc innuit: *μαραίνεσθαι τὸ ἔλαττον ὡς τὸ πλεῖον ὡς τὸ.* Quo jure etiam siccitas nimia ejus contrarium esse poterit, quandoquidem & illa ipsum interire facit.

15. Dicis: si exstinctio proveniret à frigore, *Aristoteles* expressè illud adnotasset. Resp. fecit hoc *c. 8. de Resp.* his verbis: *corruptio ignis est marcor & exstinctio, exstinctio vero à contrariis; quapropter & simul universus ignis à continentis frigiditate, & celerius adhuc exstinguitur divulsus.* Fecit idem ipse *Fernelius*, quando *l. 4. Phys. c. 8.* sic scripsit: *etiam magnâ vi frigoris calor innatus potest exstingui.* Deindè hoc etiam dici potest, quod iste caloris interitus per exstinctionem, à frigore, perrarò, immò rarissimè, accidat, quoniam aëris & aquæ injurias pleraque animalia, homines præsertim, sit ì possunt arcere. Illa vero quæ fit per exsiccationem cordis, & organorum, magis naturalis est, & sæpius evenit, statuente sic probabiliter *Conringio*, propterea voluit *Aristoteles* mortem sic definire, & hanc *σβέσις* illi anteferre.

16. Nec alicujus videtur esse momenti illa similitudo, quam inibi affert. Videtur enim extendi ultrâ suum tertium. Posito: exstinctionem calori privativè, ut tenebræ lumini, opponi, undè a. seque-

sequela ista? E, quemadmodum lumen non habet contrarium, sic & calor animalis. In hoc, duo hæc maximè sunt dissimilia. Ad hæc dubium mihi videtur adhuc, nùm extinctio, quæ talis, sit privatio caloris, quoniam non immediatè, ut tenebræ lumini, sed mediatè, quatenus scilicet contrarium frigus eam producit, calori opponitur. Ut itaque *n. v. c.* Tenebræ sunt privativum quid, E. & frigus: Ita & similitudo ferneliana legitimâ destituitur sequela. Vel, si obtinet, etiam calor elementaris hæc ratione non haberet frigus contrarium, quia incendia extinctione tollere solemus.

17. *Ultimas* desumit ab inanimatis quibusdam mineralibus, & cadavere, quæ quidem omnia calorem elementarem in se habent, nihilo minus vitâ destituuntur. Quò ipsò hoc evincere, fatagit *Fernel.* si calor vitalis esset elementaris naturæ, utique & in his inanimatis, quæ igneò elementò sunt *confertissima*, tale quid præstaret, quale in nobis & aliis viventibus. Nam ubi idem specie calor, ibi similia quoque sunt effecta. Sed secus experimur rem esse in sulphure, arsenico, antimonio. Proindè concludit: calorem vitalem diversæ, ab horum, esse profapiæ. Aliter fuisset argumentatus, si calorem non solum in se, sed & ratione agentis primarii considerasset penitius. Novit (quod & nos largimur) calorem sibi relictum, opera sua non variare; novit præterea, quod, si aliquid actiones debet vitales edere, antè vitâ oporteat esse præditum, id quod, prius non evenit, nisi animatum sit: Animam v. non cujuslibet corporis, sed tantum potentiâ vitam habentis, esse *ὄψις-λέχεια*. Hinc v. simillimum est, corpus, hoc actu destitutum destitui quoque operationibus vitæ. Aliàs, si juxtà *Fernel.* statuendum, calor per se vitam largiretur, omniumque operum vitalium esset causa per se, quod, uti abhorret à veritate; ita profectò non parùm tanti viri elevat eruditionem.

18. Proindè argumenta pro stabilienda hæc sententiâ, cum nihil, aut parùm pro ea, quin imò pro contraria, faciant, relinquimus suis assertoribus, ita tamen: ut vel potiora afferant, vel veritatis amore, nostram amplexentur, quæ omninò verò, ut de hinc probabitur, propius accedit. Nam, stante hæc hypothese, quod calor sit *αιθερώδης*, ut *Schegkius* loqui amat, non potest non colligi, animam, quæ à Philosophis pariter atque Poëtis cœlestis & q. divinæ

naturæ creditur, cum hoc suo instrumento ejusdem esse conditionis. Quod, an cum instrumenti ratione conveniat, ipsi viderint. Nec à *Saxonia* & vitæ perennitatem effugerent viventia, cœlesti virtute si gauderet calor natus. Quoniam cœleste esse, & corruptibile esse, utiq; maximè inter se repugnant; posterius vero huic calori accidere, ipsa quot diebus dicitur experientia.

19. Hactenus occupati fuimus in refutando *Fernelij* opinione, nunc ad aliam, quæ non tam propter seipsam, quàm Autorem, ferè celeberrima, progressus est faciendus. Superfederem eqvidem hoc labore, nisi veritas ipsa, vel saltèm liberũ philosophãdi genus, calcar mihi & ignarium q. adderent. Magnæ magno *Sennerto* ob immortalem ferè industriam, quam in Philosophiã pariter atq; Medicinã excolendã, adhibuit, gratiæ debentur, & merito etiam à nobis habentur, majores autem iis (quod pariter citra gloriã, quam celeberrimo *Sennerto* debemus, imminutionem, fieri potest, & debet) qui ob seculi nostri felicitatem, inventis majorum, si non aliquid eruditã modestiã addere, lucem tamen majorem affundere norunt. Quos inter, me non repono, multò minus calumniatorum gregi associo, ne præposterã quãdam sapientiã, stultitiam ipse, velut forex, prodam meam: sufficiat modò me inter illos esse, qui Cl. hunc Virum hãc in parte quodammodo q. vacillantem observarunt, & alia, veritatiq; propinquiora, sentientes, amicè ab eo recesserunt.

20. Recedit ipse à *Fernelio*, & è diametro sese quasi opponit prioris sententiæ patronis, statuendò calorem nec cœlestis originis, nec elementaris conditionis, sed tamen cum cœlesti corpore analogiam quãdam habere, simulq; superelementaris naturæ esse, & propagari per semina, tanquàm traduces, quæ non sint elementis composita, sed elementis, vel elementatis jam constitutis, ex prima creatione indita, & concreata; nutriri porrò non rebus elementaribus, aut cibo ex elementorum concreione genito, sed interiore stirpium, seminum, radicum, carniũq; humido radicali, & calido insito.

21. Fundamentum huic assertioni, quoad prius, præbuit *Aristot.* l. 2. de gen. animal. c. 3. ubi hæc leguntur verba: *Omnia animæ virtus corpus aliud participare videtur, idq; magis divinum, iis, quæ elementa*

mentæ

menta vocantur. Verum prout nobilitate, ignobilitateve anima inter sese differunt: ita & illa natura differt. Inest enim in semine omnium, quod esset fecunda semina, id, quod calidum nuncupatur. Hoc autem non ignis, nec talis aliqua facultas est, sed is, qui in semine & spumoso comprehenditur spiritus, & quæ in spiritu est natura, proportionem respondens elemento stellarum. Hinc ignis quidem nullum animal generat, neque quidquam videtur ex ignitis constitutum, scilicet in humidis scilicet in siccis solis vero calor & animalium non modo per semen, verum, si quid natus fuerit excrementitium à natura alienum, perinde habet & illud animale principium. Quod igitur ille qui animalibus inest calor, neque ignis sit, nec ab igne habeat principium, ex hisce manifestum est.

21. Textus hic, uti est difficillimus: sic difficile est aliquid certi determinare, quidnam præprimis Philosophus hic locorum velit intellectum. Propterea diversa quoque interpretum super hunc nata sunt judicia: quæ quoniam quasi nervus hujus controversiæ sunt, ex illis quædam adducere, & optimum eligere placet.

23. Zabarella non putat Aristotelem de calore nativo hic loqui, sed de forma ipsa, quæ est ἀνάλογον τῷ τῶν ἀστρον στοιχείῳ φύσει. Probatque h. m. cum elementa calorem per essentiam habeant, mixta vero per participationem, factum est, ut vocetur elementaris; calorem vero animale cum habeant viventia non per elementorum participationem, sed à forma quâdam præstantiore, refertur hæc in cælum, tanquam elementum quoddam aliud, omnes elementorum naturas supereminens, & quia calor hic insequitur animam, quæ est forma distincta ab elementorum & mixtorum, & iisque longè præstantior, ideò dixit Philosophus, esse stellarum elemento, seu cælo, quod ab eodem quintum solet vocari elementum, analogum.

24. Archangelus Mercenarius intelligit quidem hæc verba de calore vitali, negat tamen quod Ph. essentialem differentiam hisce voluerit innuere, quod ex interpretatione liquet: Calor, inquit, in semine contentus, licet igneus & elementaris sit, ejus tamen virtus proportionem non respondet virtuti caloris elementaris, quoniam hic animalia procreandi vim habet, sed proportionem respondet cælesti. Explicat porro analogiam, quæ hic superiori respondet. Idem reponit, quando urgent verba Philosophi, quod nec ab igne originem ducat,

cat, tunc sensus est: quod calor quidem secundum essentiam ab igne originem trahat, quoad virtutem verò agendi, & quâ generationis autor est, itemq; quoad mensuram & gradum, quò in semine reperitur, non ab igne, sed animâ dependet.

25. Conringius, anatomiam hujus capitis habitam, sic concludit: facultas, quæ semina reddit fecunda, propterea nobilior est, quia essentia ejus sita est in aliquo, quod divinius est elementis, scilicet essentia, & vis potissima seminis, est facultas producendi corpus animatum, simile illi, à quo semen profluxit. E quibus non statim deducendum, Ergò: calor animalis est ab elementari planè diversus. Non hoc innuit Phil. sed disertè addit, quâ in re corporis illius divinitas sit sita, nempe in natura quadam peculiari, quam etiam *δεχλω ζωτικω* ibid. appellat. Et verissimum hoc est: semina vitale principium non habere ab igne, sed ab anima. Taxat quoq; *Gaze* versionem, quæ sic sonat: *cæterum calorem in animalibus contentum, non ignem esse, neque ab igne originem trahere, constat.* Ubi vox *δεχλῆς* non idem significat h. l. quod principium, quod hic debuisset substitui. Quæstio enim, ut autumat Conringius, non de origine, sed de principio caloris, erat instituta.

26. D. Job. Freytag, applicat hæc verba Philosophi ad spiritus in semine contentos, putatq; eos ex illorum numero esse, qui insiti sunt vel influentes, quorum illi ab his nutriuntur & foventur, quamobrem etiam unius erunt naturæ. Monstrat porrò, quâ ratione hi spiritus non sint igneæ naturæ, & quâ tamen non penitus ab igne differant. *Nam isti spiritus in nobilioribus naturæ organis sublimiore, quam à puris acceperunt elementis, per variam culturam & elaborationem, virtute donati, animæ ad vivificandum, sentiendum, movendum, aliasq; actiones eminentiores edendum, ceu commoda instrumenta, inservire possunt.* Quò sane modo ab igne esse, non possunt dici, quare? quia ignis his virtutibus illos non ornavit. Tandem, ut ego perspicio, inter materiale, & formale horum spirituum distinguit, ita: ut materialiter quidem ab elementis proveniant, formaliter vero non item.

27. Quæ interpretationes licet proximè ad *Aristotelis* mentem accedere videantur, præsentemq; controversiam perbenè componere valeant; citius tamen, & felicius rem expeditam nos daturos spera-

speramus, si asseramus, *Philosophum* potius ex sententiâ *veterum*, *Platoniorum*, locutum fuisse, quod ex textu patet: non dicit, in semine esse calorem, sed illud, quod *calidum vocatur*, τὸ καλόμενον θερμόν. Veteres enim adspicientes mirabiles operationes ab anima mediante calore proficisci, principalem ignorantes causam, vel potius falsæ hypothese innitentes, quod ignis sit anima, calori illas adscribere non dubitarunt. Quò sensu *Hipp. 6. Epid. S. 5.* scribit, *animam hominis ad mortem usq; nasci*, item alibi: *ingreditur anima corpus, habens missionem aquæ & ignis.* Quod Ἐπίδοξον hodiernis quibusdam medicis adeò arrisit, ut hodie etiam calorem, animam medicam audeant salutare. Constat itaq; *Philosophum* hic nō tam de calido innato agere, quàm *Veterum* opinionem rejicere voluisse, dum dixit, καλόμενον θερμόν, aliàs hac voce non opus habuisset.

28. Ut tandè m eò melius iis occurrere possimus, videamus istam similitudinem quæ intercedit animali cum ætherio. Confistit autem in his: *quemadmodum sol, & cælum calore suo vivifico sublu-narium generationem moderantur: ita calor natus, prout est instrumentum animæ, generat, & vivificat.* Item: *ut calor ætherius semina reddit fœcunda, sic & natus &c:* quæ omnia utrâvis largimur manu, modò probent hoc: quod illud, quod analogiam cum aliquo habet, statim ejusdem cum analogato conditionis esse debeat. Quod si verum, sequeretur quoq; pedem scabelli carneum esse debere, quia habet analogiam cum pede humano. Ad virtutem potius, quam ab anima accipit, hæc analogia spectat, non ad caloris essentiam. Et, si diversa virtus vel facultas agendi, quam ab eo principio, à quo regulatur, accipit, nullam infert specificam differentiam, sed solùm accidentalem aliquam, quomodò præstabit illud ista analogia? quæ ab ipso *Sennerto* dubia adhuc creditur, quandò ait: *Inst. p. 42. forsitan non immeritò putatur ἀνάλογος hic spiritus τῶ τῶν ἄστρον στοιχείω.*

29. Rationes, quibus huic opinioni robur conciliare intendit, videri possunt in *Inst: medic:* quæ maximam quidem partem è *Fernelii Physiologia* sunt desumptæ, non parùm tamen in se firmitudinis habent. Numero 4. sunt, autoritatem *Philosophi*, de quâ jam superius actum, si excipias. Merentur hæ paulò altius considerari, ne vel *tanti viri* autoritatem temerè oppugnare, vel nobis nimium arrogare videamur.

30. Pri.

30. Prima ejus ratio edictum illud *Scaligeri*, pro fundamento accipit, quo edicit, omnem formam cujuscunq; perfectè misti, etiam si non est anima, ut in adamante, naturam esse quintam, & longè aliam à 4. elementis, & quoniam anima nostra talis est, propterea addit, formam requirere quoq; *οικείαν ὕλην*, & domicilium nobilius, vel, ut *D. Sennertus* extulit: virtutem elementis diviniorem, residere in corpore, elementa nobilitate superante. Verum quidem est, non quamlibet formam quamlibet informare materiam, sed eam tantum, quæ illi adæqvata & proportionata est, & proindè locum hic merentur *Scaligeri* verba, quæ dixit formam *οικείαν ὕλην* requirere. An vero materia nobilior elementis, & cœlo analoga, requiratur, aliis judicandum relinquimus. Hæc enim ratione vacillaret illud quodammodò tritum: formam sibi disponere materiam, i. e. sibi reddere idoneam, aptam, & obedientem, ut actiones ejus subeat, ubi materia nihil profectò agere potest, nisi non repugnando eas dispositiones sustinere. Quæ manifestant, nobilitatem quandam materiæ à forma conciliari, non vero quod materia statim nobilis ad formæ dispositiones recipiendas, adveniat. Licet enim una sit præstantior alterâ, vel aptitudinem majorem ad hanc vel illam formam habeat, non tamen indè statim superior elementis, vel diviniore dicenda. Par est ratio de instrumentis, formæ actionibus subordinatis: *ærarii & aurifabri mallei non differunt specie, licet à nobilioribus eleventur artificibus, licet hic subtilior sit illò.* Nobilitas enim instrumenti non inest instrumento per se, sed communicativè à principali agente, ut prolixè id ostendit

D. Freytag.

31. Deindè, stante hypothese *Scaligeri*, i. esset vel omnibus corporum perfectè mistorum formis, elementorum naturam longe superantibus, talis spiritus attribuendus, cum tamen *Aristot.* hunc viventibus solùm adscripserit, vel, si hæc collectio videtur alicui absona, absona quoq; illa erit, quæ etiam non viventibus talem spiritum adsignat, cum formæ mistorum æqvè feliciter ad operandum utantur calore elementari, 2. requireret ipse quoque spiritus nobilior domicilio, in quo resideret, nobilior enim est elementis, subjectum autem ejus statuitur humidum radicale. Aut *E. Scaligeri* major, erit falsa, aut, si vera, dabitur etiam humidum cœleste, quod tamen ignauditum.

32. Ad

32. Ad alterum, quod profert *Cl. Sennert. p. 39. Inst.* eadem respondere possemus, quæ superius *Fernelio*; exercitii tamen gratia ulterius hoc argumentum discutiemus. Putat *D. Sennertus* frigus calori planè non nocere, adeò, ut etiam medio in frigore, ipsaque glacie, in plantis persistat salvus & incolumis. Prudenti animalia omittit, utpote quorum calor non rarò per intensissimum frigus resolvitur, quod ipse facilè concedet, & sic simul suam hypothesin evertet. Plantas quod attinet, si omnes per hiemem durare, frigusque tolerare possent, aliquid obtineret argumentum. Quot verò sunt quæ ad levem boreæ flatum marcescunt? perpaucæ sane hiemali tempore vigent. Nec propterea, si vigent & florent, sequela elicienda pro cœlesti caloris natura. Quod animalia citius; alia tardius, alia planè non, à frigore superantur, id ratione temperamenti, compagis, modi substantiæ, & cœli solique sitûs, fieri potest, hinc planè non mirum, etiam calorem, quamvis viribus & quantitate minor sit externo frigore, majori & efficacissimo frigori resistere posse, modo influxum virtutis principalis experiatur.

33. Pergit nobis objicere, actiones nobilissimas etiã nonnullis viventibus & cadaveribus, quæ procul dubio, ut ait, proficiscuntur à calido innato, & quia superant operationes elementorû, probabile quoque videtur adstruere, calorem innatû nobilioris esse originis. Verùm, quàm imbellis hæc sit collectio (quod tamen cum pace *Cl. Viri* à me dicatur) patebit mox. Si quæ si vero undè proveniunt operationes hæ? dicent ab occultis quæ undè hæ? à calido nativò, hinc vides falsam hypothesin, cui tota machina opinionis superstructa. Multa hæc, antequam fide donantur, indigent probatione, imò manifestò falsa sunt. Plura enim dantur occultis qualitatibus, sympathiis & antipathiis gaudencia, interim calido carent innatò, & vice versâ, multa manifestâ qualitate agunt, calore perfusa nativò, ut Anisum, quis hoc occultâ qualitate καὶ ἰσχυρῶν efficere dicat?

34. Dicis: in vivis hæ actiones causam adhuc aliquam agnoscunt, cur verò animâ privata, easdem edunt operationes, ac si adhuc eâ gauderent? cur rhabarbarum purgat mortuum? cur mandragora *καρπωσιν* inducit? Resp. *Sennertus p. 40.* hoc fieri asserit ob spiritum insitum, & humidum radicale superstes. Obtineret

C

si

si *περσκειμνον εν αυτικειμνω* posset occultari. Si enim aliquis
cadaver est, quæ potest aliquid calidi innati superare, cum per ejus
extinctionem, & animæ recessum factum fuerit cadaver? Pro-
pterea tutò dicere possum, rhabbarum mortuum non purgat, ut
rhabbarum, quia formam, quæ tale erat, amisit. Nec refert sub-
stituire formam subordinatam, ut facit *l. 5 c. 2.* nisi velit simul lar-
giri, propria suum subjectum egredi. Quid itaq; dicendum? sa-
nè, si vis judicii mei eò penetrat, dicerem, harum actionum cau-
sam non esse animam, multò minus occultas qualitates, quoniam
manifesta hîc sufficit. Inspiciamus modò quæ ratione purgatio
soleat fieri: nonnè fit *Διακρίσει ετερογενῶν & συγκρίσει ὁμογενῶν?*
jam nominet mihi aliquis calidum, quòd hæc non præstet, licet
verum sit, præ diversitate graduum, calorem quoq; diversè operari,
adeò ut ejus operationes vix ac ne vix à nobis interdum observen-
tur. Pari ratione de *ναρκώσει* statuendum. *Ναρκατικά* sunt o-
pium, hyoscyamus, mandragora, & ut vulgò ajunt, sunt naturæ
frigidissimæ, quid igitur vetat, quo minus hæc secundum hanc qua-
litate inducant *νάρκωσιν*? quamvis libenter concedam, has o-
perationes interdum quoq; ab occultis qualitatibus provenire pos-
se. Eòdem, scil. manifesto, modò, præstat quoq; rhabbarum
mortuum ea, quæ præstitit vivum, secundum quasdam operatio-
nes. Dico secundum quasdam: nam opera vitæ non exercet, li-
cet interdum adhuc purget. Qui effectus cur calori, qui rha-
baro, quatenus mistum quid est, competit, cur non adscriben-
dus sit, non video, cum præsertim sæpius plures acquirat gradus ex
corruptione plantæ per *σβέσιν*, ubi non credibile est omnem
nativum desubito evanescere.

35. Mira quoq; adducit de Origine hujus spiritus, quod scil.
non sit ex elementorum mixture, sed ex prima rerum creatione, &
jam creatis & constitutis elementis singulis rerum viventium spe-
ciebus, omnipotentis benedictionis virtute, indita: Item, statuit
tale quid cælo *ανάλογον* latere in alimentis hominum, quò ipso
cottidiè restauretur, &c. Quæ omnia egregiè quidè sunt excogi-
tata, pro robore opinionis propositæ, an verò cum rei veritate
convenient, & an benedictio divina ad calorem hunc sese exten-
dat

dat etiam, ambigo. Deniq̄ve, quoniam *Job. Freytag* exactissime hanc refutavit, crambem bis coctam hic afferre nolumus.

36. Cùm itaq̄; ex adductis abundè cuilibet pateat, calorem vitalem, neq̄; cœlestem, neq̄; τῷ τῶν ἀέρων στοιχείῳ ἀνάλογον, & sic naturâ diversum esse ab elementari, nihil restare videtur, quàm ut nostram, quâ cum antiquis Philosophis pariter atq̄ve Medicis statuimus, eum cum elementari ejusdem esse conditionis, ulterius probeamus. Quod utiq̄; prolixè fieri posset, nisi temporis, chartæq̄; ratio id prohiberet.

37. Ante omnia nobis maximo est argumento, quod sciamus frigus eidem maxime infensum, sicq̄; contrarium esse. Nam præter rationes ex *Aristotele* contra *Fernel:* supra adductas, experientia quoq̄; nobis hac in parte adfentitur, præsertim brumali tempore, ubi invalescente frigore, calor natus attenuatur, in multis extinguitur, quò factò, non rarò membrorum sphacelus, stirpium interitus sequi solet. Et, licet non ad unum omnia statim emoriantur, aliaq̄; citius, alia tardius, intereant, sufficit tamen nobis quod aliquando demùm, frigus virtute suâ contrariâ calorem interimat. Aliàs si cœlestis esset, vel naturæ alterius, nequaquam ab eo pateretur, & hac ratione nulla res per hiemem afficeretur.

38. Vicissim, uti frigus præsentia suâ calorem vitalem infestat: sic è contrario elementaris eundem suscitatur, fovet & conservat, si scilicet: justâ in proportione accedat. Provoco rursus ad experientiam. Cur botanici hiemali tempore stirpes hypocauftis, cellisque includunt? certè, ut contra frigoris inclementiam per id temporis spatium defendantur. Nec à spe prorsus dejiciuntur. Sæpius n. non solum invariato foliorum colore, & odore, superant, verum etiam citius progerminant. Hæc, si cui videntur impertinentia, adspiciat animalia quædam, brumali tempore quæ semimortua, quæ si tepido loco reposuerit, vitam quasi recuperare videbit. Dixi elementarem justâ in proportione vitale fovere. Nam, si justo, fuerit nimius, quàm ut ille sufferre possit, ἀνάσσει, in plantis & in nobis febrem excitat. Quod ipsum egregiè demonstrat *Gal. 1. Aph. com 41. et. 61.* quoniam febrem sic definit: *febris est innati caloris in igneum conversio vel mutatio.* Jam ista conversio aut intelligitur secundum esse simpliciter, ita, ut calor innatus simpliciter intereat, & generetur igneus secundum formam

ab innato diversus; aut intelligitur mutatio *secundum gradum vel modum*, & ab esse naturali ad esse præternaturale. Priori certè modò intelligi nequit, si quidè ipse *Gal. 8. MM. c. 1.* eam mutationem declarat, hæc scribens ad verbum: *sanè unusquispiam morborum est, quos in temperies creat & febris, cum adeò immodicè auctus est calor, ut hominem offendat, & actionem ledat, qu. si neutrum horum efficiat, quantumvis sit homo nunc, quàm ante, calidior, nondum tamen eum febricitare monstravimus.* Ex quibus facilè constat, febrem esse mutationem innati in igneum, non secundum esse simpliciter, sed secundum gradum & modum. Confirmant hoc Medici, qui Inflammationes frigore elementari tollunt, latente in medicamentis, quod gradus igneos nativo additos, retundit, & abolet, ut perquam scitè id insinuat *Freytagius*.

39. Accedit testimonium *M. Sennerti* qui *l. 1. de febr. c. 1.* liquidò affirmat, *in febre calores specie diversos non esse, sed nativum à morbo* gradibus tantùm differre, qui gradus superveniētis caloris, febricitantem tribuant, atq; sic ratione graduum, quatenus propter hos diversos, diverse fiunt operationes, formaliter quidem differant, materialiter verò conveniunt, non secus atq; se habet octonarius respectu senarii, ut *Jacobus Forliv.* & *Hugo Senensis* distinxerunt.

40. Idem ille calor, quò anima tanquam instrumento utitur, non raro, quando mistum resolvitur, redit in 4. elementa, undè firmissima nobis suppeditatur ratio, eundem esse ejusdem cum elementari conditionis. Nam ex quibus aliquid constat, in ea, qu. corrumpitur, resolvitur. De minoris veritate, non est quod aliquis dubitet, ipsemet *Fernelius 2. c. 5. Phys.* qui alioquin contra nos est, hæc in verba definit: *Natura obitus rerum conficiens, eò singula refert, undè fuerunt accepta. Homines cum solutis corporum vinculis à vita excedunt, quantum innati caloris dissipatur, id omne in universam ignis naturam revolat, spiritus substantia partim in ignem, partim in aëris regionem offusam, nobis refunditur.* His & *Hipp.* alicubi suum adjicit calculum.

41. Prætereo nunc quam plurima, quæ pro sententiæ hujus confirmatione facere possent, sed sufficiant hæc, cum veritas abunde, ut opinor, ex his eluceat. Objicit tamen *Cl. Sennertus* in *Consens. & dissensu Chymic.* tria adhuc, quod scilicet (1.) calor elementaris

716

*ris moveatur à centro, his autem circa centrum, vel in orbem. (2.) levior
 & celerior est elementari (3.) magis quoque penetrat, & per consequens sub-
 tiliior etiam est. Verum leviora hæc sunt, & soluta facilia. Nam
 (1.) solvitur hac distinctione: elementaris per se movetur sursum,
 per accidens etiam deorsum, & in orbem. Exempla rem declarant:
 si vasculum aqua plenum, agites, ipsa aqua movebitur in orbem,
 cum aliàs movetur deorsum: Ita & de calore vitali verum est hoc
 per accidens. Quod enim ad omnes loci differentias movetur,
 accidit à causa quâdam propellente, scilicet à sanguine, in quo
 stabulatur. Nec, si concederetur magno Sennerto argumen-
 tum, sequeretur, quod esset supra naturam sublunarium, nisi & ipsi
 sanguini, cujus κυκλοφορία nunc est decantata, talem naturam
 velit adscribere. 2. & 3. principium petunt. Probet prius quod
 sit levior elementari, deinde sollicitus sit de majoris consequens quic-
 quid est levius calore elementari, illud est cœlestis natura. Æquè sane
 celeriter moveri, & penetrare ignem, & calorem ignis (quod in ful-
 minibus penetrantibus videre licet) vero simile est, atque calorem
 nativum.*

42. Tandem novitatis à nonnullis hæc accusatur & propte-
 reâ non parùm suspecta habetur. Verum enim vero tantum abest,
 ut sit nova, ut potius sit antiquissima. Evolvantur scripta Galeni &
 præprimis *Philosophi*, qui infinitis ferè in locis eandem doctrinam con-
 tra dissentientes defenderunt. Nobiliora apud *Aristot.* testimonia
 occurrunt in *l. 2. de anima t. 40. 2. de part. animal. c. 7. 8. l. 3. ibid. c. 7. l.
 de Resp. c. 6. 8. & c.* Cum itaque antiquitatem nostra opinio maximè
 redoleat, & veritati præ reliquis litet, placuit nobis eandem hac vi-
 ce defendere, & sub incudem disputatoriam revocare. Erratis L.
 B. eò facilius dabit veniam, quò certius illi de πολυθεωλήτω illo
 constabit: εἰς ἀνῆς ἢ πάνθ' ὄρα.

SUPERPONDIA.

- I. *Struthiocamelus ferrum non concoquit.*
- II. *Salamandra potest comburi.*
- III. *Ignis non putrescit.*

SOLI DEO GLORIA.



Ad

DN. RESPONDENTEM,

Philosophiæ & Medicinæ Studiosum
solertissimum.

Hic, *Kreuttere*, calor; quò *nostræ pulpita Musæ*
Fervent, in medicum germina vertet olus.
Gratulor in primis; olus hoc prande bis, & ipse
Apponam huic oleri fercula plura tuo.

D. Joh. Ittigius, Phys. P.P.

Fac. Phil. h. t. Decanus.

Digna cedro res est Physicis in rebus, Amice,
Quam tractas: Physici nomina, crede, parit.
Res vestris Medicis potior num cernitur ulla
Quàm calor est? Medici nomen & illa dabit.
Dat *Physici* nomen, physico dum more resolvis
Scrutando calidæ quæ sit origo rei.
Arguit & *Medicum* mox talem, intentio cujus
Ultimus & finis sit bonus ille calor.

gratulatur,
ominatur

M. Joh. Sigismundus Schwencf/

Facult. Phil. Assess.

Sic

Sic juvat innatæ natales pandere flammæ,
Per multos quondam qui latuere diu.
Sic Iustrare juvat, quid corpora nutriat, aut quid
Augeat infantes, semina quid foveat;
Hoc calor est vitæ, vitæ calor omnia servat,
Quod tua jam nobis quæstio docta probat.
Perge tuum nobis studium, Kreuttere, probare,
Sic tibi, sic patriæ commoda multa feres.

hæc paucula apponeb.

L. M. Q

PRÆSES.

Sicilicet alta petit nec non assurgit humo imâ
Figier indocilis flamma relicta sibi.
Igneaq; ingenii vis summa infudat adire
Assidue: illa etiam TE, PYLADES! agitat.
Ingenium calidum, *calidum* dum exponis amico
Colloquio, *innatum*, detegis hinc tuum.
Spes patrij KREUTERE! soli, ferventibus olim
Dante DEO, studiis commoda quanta feres?

f.
Johannes Seebisch / Phil. Stud.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.